

reclusis patefactisque foribus, rebelles aliquot damnatosque complures & libertati & municipio restituit: privatas publicasque injurias omnes remisit, pollicitusque est se proscriptos quosque revocaturum. Militibus deinde appellatis, eos stipendio donavit, atque oppida novis præfidiis firmavit. Carolo ad diem quintum calendarum februarii Roma profecto, Velitrasque progresso, Cæsar Borgia, Cardinalis, Alexandri filius, quem quidem pater Legati nomine Carolo dederat, ut obsidis loco apud illum esset, noctu aufugit: ne ve patris voluntate videretur id fecisse, non Romam, sed Spoletum se contulit. Eodem tempore missi a rege milites, qui ex fœdere Hostiensem, & Centumcellarum, Anxurisque arces, quoad is in Italia esset, custodirent, repulsi sunt ab Alexandri custodibus: arcem enim Hostiensem, quam Julianus Cardinalis exædificaverat, præfidiisque firmaverat, cum is Alexandri Pontificatus initio nihil illi fidens speculatoria biremi se ex ea sustulisset, concordensque Fabritio Columnæ, amico sibi homini, & magni ac erecti animi viro, illam commendavisset, Genuamque ac deinde in Galliam esset profectus, Alexander, Nicolao Ursino Petilianorum principe cum exercitu eo misso, acri obsidione cinctam expugnaverat, suique juris fecerat. Rex Velitris profectus Fortini montis oppidum munitissimum, quod quidem capi posse nisi longa obsidione non videbatur, paucarum horarum spatio cepit, itemque Ferentinum, quæ utraque in Ferdinandi erant partibus. Ea re confecta, suum hominem ad Pontificem misit: ni pactis, quæ sunt in ipsorum fœdere, steterit, feso primum omnium sua in illum arma conversurum: quo accepto nuncio, Pontifex regis militibus arces tradidit. Ferociore regis milites impetu primum in Alfonsi ditione castellum in Cassinate saltu, & militibus & commeatu communatum, vi captum diripuerunt, propugnatoribus incolisque omnibus ad unum interfectis, quod præmissi ad oppidanos de ditione nuncii, ab iis male accepti fuerant. Id castellum sancti Joannis mons ab incolis appellatur: tenebaturque ab Aterni

1495